

inuisibilis gratiae uisibilis forma, quia magister  
hanc exponit de gratia gratum faciente, id est re-  
conciliante & iustificante, non de gratia gratis  
data. Et Paulus unum sacramentum definit pro  
omnibus circumcisionem scilicet, quam uocat si-  
gnaculum iustitiae fidei. Ea etiam quae non sunt ne-  
cessaria bene possunt omitti sine ullo contemptu,  
nec opus est tantopere litigare de rebus non ne-  
cessarijs, & indignum Christianis ut alius alium  
damnet propter res ἀδιάφορα. Sed mitior est  
sententia huius articuli, quam decretum Concilij  
Aurelianensis, in quo dicitur: Et quia nunquam  
erit Christianus nisi in confirmatione Episcopali  
fuerit confirmatus.

### Articulus 13. Louaniensis.

**I**N Eucharistiae sacramento, est re-  
ipsa uerum corpus Domini nostri  
Iesu Christi, illud ipsum, quod de  
uirgine natum, & in Cruce passum  
est.

### Articulus 14. Louan.

**I**N Eucharistia non manent panis &  
uinum, sed haec in corpus & sanguis  
C 4